

Ad

**Clarissimum DN. CANDIDATUM  
PRÆSES.**

**S**ic Tu quoque agnoscis quam in sublimi posita sit Scientia Medica, & quam per arduas sedulitatis scalas ad illam sit contendendum. Nunquam defuerunt, nosti, & modo non in omni scibili tales essent, qui uno quasi saltu se posse cacumen medica peritia contingere persuasi, conquirunt tales, nisi se sponte offerant, Doctores, non qui manu eo ducant, sed cum illic currant, ut coronidem sive Doctoratus lucrentur; sed quam precipites iterum ruant, infames docuere per singula tempora lapsus. Vix sane dimidium illud temporis hodie volunt futuri Clinici studio Medico dare, quod hi, qui se in Pharmacopæos tandem volunt erigere, in addiscenda notitia Pharmaceutica, habent impendendum, cum tamen horum abhinc sint constituendi Directores. Gratulor Tibi ergo Candidate Clarissime, quod spreto illo juvenili, si non puerili, pramature sane emergendi ardore, admisisti Te duci firmis gressibus ad praxin exercendam & per hanc viam incesseris, quam experientia Veterum & Recentiorum fida theoria reddidit famosam. Non dubites, tarditatem hanc gravitatem Praxeos valde esse subleaturam, & ipse senties, quam Icari volatus cedant Dædali consiliis. Annuat porro cæptis Tuis, qui Medicorum est Prototypus, ut, quam Tibi comparasti eruditionem illam Fœnoris loco sibi habeant & Egroti, qui Tuam opem implorabunt, & Amici qui Te colent, & Inimici, qui Tibi invidebunt. Nec unquam, rogo, deponas memoriam Roseti nostri Almæve Tuis studiis adeo faventis, quo & alii Tui similes futuri nos invisere incitentur. Dabam à Museo,  
d. 10. Novemb. Anno MDCCXIX,



12<sup>9</sup>

**PROGRAMMA,  
DE  
CONNUBIO ETHICÆ  
ET MEDICINÆ,**

QVO  
SVO ET FACULTATIS SUE NOMINE  
ILLUSTRES ORDINIS MEDICI FAUTORES,  
**MAGNIFICUM DN. RECTOREM,**  
REGIMINIS DUCALIS PROCERES, UTRIUSQUE  
SENATUS ANTISTITES, OMNESQUE CIVES  
ACADEMICOS,

AD  
**DISPUTAT. INAUGURALEM,**  
PRÆ-NOBILIS AC CLARISSIMI MEDICINÆ CANDIDATI,  
**DN. JOHANNIS CHRISTOPHORI  
HEINTZEN,**  
WITTEBURGO - MEGAPOLITANI,

DE  
**EROTOMANIA,**  
PRO SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS  
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS OBTINENDIS  
DEO FORTUNANTE,

*Ad diem Novembrii XXI. horis ante & pomeridianis habendam,  
ut præsentia suâ huic Actui sint ornamento,*  
ca, qua valet. observantia

invitat  
**GEORGIUS DETHARDING,**  
Med. D. & P. P. Ducalis, F. C. t. s. Medicæ Pro-Decanus.

ROSTOCHII, Typis Joh. Weppplingi, SERENISS. PRINC. & Acad. Typogr.



rum videri posset, mihi & aliis, qui

*Synopsis Philosophiæ Moralis* evolvunt, quam Præceptorum Ethicorum Scriptor non infimus, *Antonius Iterius*, lucè commisit, dum valde occupatus est in docendo quibus Ethica sit scitu commoda & necessaria? & affirmat talem æstimandam esse à *Theologis ac Jureconsultis*, quare ne verbulo quidem mentionem faciat de *Medicis*

annon ad hos quoque disciplina illa spectat? nisi communis error, ac si talis solentia non pertineat ad forum medicum, quod anima & hujus affectiones essent extra potestatem Medici positæ, pararet oblivioni tali patrocinium. Quantum ego sentio vel potius quantum me sentire jubet, & quod confido, me longe plures, ipsius scientiæ & artis Medicæ natura quod in proverbio dicitur: Ibi incipere Medicum, ubi desinit Physicus, si non majori æquo tamen jure de Ethico pronuntiari debet, ubi incipit Medicus ibi se societ Ethicus, & vicissim ubi docet Ethicus, ibi se jungat Medicus. Sive enim Medicum consideremus quæ talem, sive ejus objectum, hominem; undique invenit Ethica, ut sociæ fide se præstet non modo fidelem, sed etiam necessariam. Non hoc urgebo quod Medicus, quæ homo est, ope Præceptorum Ethicorum æque ac quivis alius sit informandus de civili beatitudine, in hac enim omnes consenturos fore certus confido; sed attendant, rogo, adversarii, quam nemini fere magis quam Medico sit notitia Philosophiæ moraliæ necessaria, dum nemo hominum magis versatur inter objecta virtutes & quicquid virtutibus accedit, infensa. Semel Herculem ferunt in bivio constitutum fuisse, quamnam semitarum eligeret, voluptate æque ac virtute sibi illum eligentibus? Medicus per tot annos quot Clinicus est, per tot dies quot Praxin exercet, per tot horas quot ægros invisit, in bivio hæret, nec dantur intervalla, quia illum ad se raperè velint ambitio, invidia, avaritia, obrectatio, ebrietas, impudicitia, mendacium, garrulitas, immisericordia; nisi hic Ethica obstiterit & suavissimis suis vinculis, quæ Pietas brachia libenter jungit, detineat deliberantem, quid obstat, quia Medicus inter omnes homines sit flagitiosissimus? Accedit officium

officium Medici erga alios, quod tale est, ut ab hoc magis quam ab ullo hominum desideret & velit esse amabilem, esse officiosum, esse gratiosum, esse omnium horarum hominem, sub doloribus ægros hos insulantibus disertum consolatorem, sub cruciatibus ab his sustinentibus exhortatorem indefessum, sub medicamentorum insævium propinatione blandum amicum, sub morte illis imminente nuncium prudentem, uno verbo, ipsum aut jam civiliter beatum, quod præstat, quo expertus alios sub istis momentis informare possit, aut non profuse beatitudinis illius ignorantem *i. e.* Ethicum. Nolo tamen in his commorari, vel per hæc Ethicæ necessitatem in studio & exercitio Medicinæ multis verborum ambagibus adstruere, foret enim fragilitatis medicæ plane immemor aut invidiæ reus dicendus, qui hoc humani à Medicis alienum judicaverit, quod impiagere, quod deficere, quod labi possint; nec vero consiliis justis aut firmandi aut revocandi. Accedo ad objectum Medicinæ, quod ab objecto Ethicæ non prorsus alienum habendum est; Hominem sibi sumit Ethica informandum, nec nisi hominem curat Medicina: hominem quæ civiliter beatum respicit Ethica, illum quoque respectum habet Medicina: Ethica destinantur ad regendos & corrigendos affectus & horum consecraria, aut, in his momentis toto die occupata est Medicina; nusquam ergo occasio deest, quin sororio amplexu se binæ hæc disciplinæ excipiant, & teneant constrictas. Quæ amicitia, dum à parte Medicinæ fuit, itidem Ethica habet, ut Medicinam veneretur & in pretio habeat. Constat, quantas paginas in Ethicis absolvat Doctrina de affectibus, quam studium Pathologicum exercuerit Viros inter eruditos primos, *Cartesium, Gassendum, Malebranchium, Hobbesium, Bonetum, Wesensfeldium*, ut illud reddant facilius! quam tamen in hunc usque diem maxima sit Doctrinæ talis confusio, quam frigida de passionibus explicatio! quam parum spei reliquum irritis tot Doctorum conatibus majorem lucem posse illi affundi! Non aliud ego observo, vel mihi persuadere possum esse obstaculum ac dissensum, vel rectius, distantiam Ethicæ & Medicinæ. Fatentur Ethici sequi affectus hominum temperamentum corporis ut ad amorem sanguinei, ad iram biliosi, ad tristitiam Melancholici, ad metum phlegmatici proclives sint; sed connexionem intelligere vel docere poterit, nisi Medicus in anatomicis & physiologicis probe versatus.

) 2

quantas

quantas strages, quantas automatas in morbis, quantas overfiones in operationibus Medicamentorum affectus producant, sed de his differere non poterit nisi Ethicus. Aurea hinc sunt verba quæ *Eridericus Gontzken* in præfat. tract. de *Passionibus Kilon.* a. 1707. habet: *Solida, inquit, de affectibus doctrina multiplicem & ineffabilem in eruditione præstat utilitatem. Sane, sine illa nullus auctor recte intelligi, nemo recte doceri, nec quicquam alicui persuaderi, nemo vel seipsum vel alios cognoscere, nil in exploranda veritate ac sanandis morbis cum fructu præstari, quinimo in Ecclesiasticis sive corripiendo, sive consolando sapienter versari poterit.* Estne veto anima hominis tantæ majestatis ut Medicis quando de actionibus in corpore lis est, illam nunquam possint in jus vocare? tantæ celsitudinis, ut Medicorum iusta ad illam non pertingant? Talis substantia, ut Medicorum leges respuat & spernat? aut: ut clarius loquar, estne omnis Medicorum cura de anima nulla, quia hæc *ψυχή*, non afficitur morbis? nec medicamenta, quæ quanta sunt, admittit, illa corporeæ extensionis experta? Concederem hæc quam liberalissime & citra omnem scrupulum subscriberem his ratiociniis, quos solet Medicis disputari imperium in animam, si anima extra corpus foret constituta, aut, licet corpori immersa, nullo vinculo cum hoc neceretur, quod afflictiones redderet corporis & animæ communes. At hujus vinculi, quo arctius vix aliquid datur, medio multum penes Medicum manet potestatis animam variis modis flectendi & medicamentis movendi, ut ad nutum suum nunc mitius agat, nunc gravius, nunc in agendo permaneat, nunc ab agendo desiliat. Quam ergo per se non regere valet Medicus, regit per amorem, quo corpus sibi charissimum hospitium complectitur, quando vel corpori infundit medicamenta, vel huic applicat remedia, vel illi subtrahit ad tempus coeteroquin necessaria. Nolo tamen quas modo lineas dux; de Ethicæ & Medicinæ connubio, specialiori discursu ulterius evolvere, non modo quod ex allatis quibusvis, qui seipsum & Medicinam noverit, nexum inter has disciplinas valeat intelligere, sed quod in exemplum & abhinc in majus assertorum robur veniat morbus animi, *Erotomania*, dictus, quem *Prenobilis ac Doctissimus Medicina Candidatus, DN. JOHANNES CHRISTOPHORUS HEINTZE*, sibi evolvendum & publice defendendam sumpsit, ad cupus natales, & studiorum cursum, pro more, quem

Alma

Alma hæc nostra consilio retinuit, & quem ad alios excitandos atque studio sibi datum alacriter decurrant, facere, non semel observavit, ut explicem, me jam accingo. Aspexit lucem laudatus modo *Candidatus Anno MDCCXCI.* seculi non ita pridem elapsi in oppido *Wittenburgum* dicto, cujus gloria equidem non tanta hodie inter urbes *Megapolenses*, ac quidem ex circumferentia urbis *laco-latumque* fortitudine bellica olim fuit: magna tamen satis dum protulit & profert Viros in scientiis & Mercatura satis veratos. Ad hos referre decet *Consiliarium illū & Archiatrum diversorum Principum S. R. Dn. Hadrianum à Mysiebi, Tribudonium* antedictum quam merita illum inter nobiles imperii collocaverunt, & qui sibi sanam immortalē librorum, cui titulum fecit *Theauri vel armamentarii medicæ* comparavit, cujus aedes, quæ inhabitavit, nomen magni istius Viri in hunc diem sibi servant. Quod ad Parentes Candidati nostri spectat, natus est Patre *JOHANNES CHRISTOPHORO HEINTZE*, quem, quamvis *Pharmacopæi* modo nomen præ se ferat, & huic officio probus præsit, rerum tamen usus fecit rei medicæ admodum peritum, ut vicinia & quæ circumiacet Provincia consilia sua medicæ & opem per frequenter expetant, & non sine solatio experiantur conferre. Matrem habuit *Agnetam*, Mercatoris *Lubecensis, Carstii* dicti, fillam, quam ipsam & probam sibi quæ admodum faventem ad sepe ante triennium tendentem non sine cordolio dimisit. Primæ curæ Parentum fuerit, ne elabi vel primos annos paterentur, quin illius primogenituræ jure sibi insuper commendatissimus, cum annis & exercebat pietate ac studii amore sensim animus tingeretur. Cum ergo novem esset annorum misus est *Altenburgum, Palaopyrgum* quoque dictum, urbem ex variis momentis celebrem, sed ex *Gymnasio*, quod ibidem floret cesaberrimam, quo haud interrupto ordine nec mutato loco, quod non parum utilitatis discuntibus affert, studia prosequeretur humaniora dicta, & animus ejus in literas propentius haberet, quod strenue agat. Laudat ergo & in hunc usque diem liberali & grato animo extollit tum curas *Dn. Augusti Werneri*, Baccalauri titulo tunc fulgentis, ac informationem *M. Joannis Christiani Sternii* Conrectoris, diligentia & eruditione se ad imitandum provocantis, quum doctrinam humanitati junctam, *Dn. M. Eridoriet Erisen*, Professoris titulo fulgentis, qui omnes illius

263

manu

manu per classes, seu tot scalas, ad culmina scientiarum modo memoratarum duxerunt: quibus non leve pondus addidit Favor singularis, doctrinae radiis corrulcans, *Dn. M. Christiani Junkeri*, cujus fervorem in docendo & gravitatem in scribendo omnes norunt qui literas norunt. Nec ergo vel minus politus vel rudior Almam adire cepit. In quo, si ad mores hodiernos respicias, perquam multos videre licet impingere, qui literarum interiora nosse habent pro re parvi momenti, quibus sine se genuinas scientiarum imagines singularumque delicias assequi aequae posse ac istis ad unguem imbutos satis supini sibi persuadent: in Academiis ergo involant moribus in luxuriam fluentibus & incitiae nota sibi & Docentibus oneri ac taedio. Prima Almarum, quae Candidatum nostrum, qui Medico studio se totum dicatum voluit recepit & fovit, Lipsia fuit, quam esse Locum à natura habitum ad Medicos formandos qualem Hippocrates jam monuit esse adendum, tot secula probarunt, & testium loco esse possunt tot illustres Viri, qui, ceu ex equo trojano, turmatim hinc prodierunt, ut, quae olim exilitatio Patavio fuit, abhinc Montispeffulano in Gallis, ut Medicis pro fide Eruditionis concilianda satis fuerit dixisse, se illic eruditos fuisse, haec fama Lipsiam decoret. Tradidit vero se in Philosophia magis adhuc erudiendum & firmandum *Augusto Friderico Mullero*, Juris equidem consulto satis incluto, sed ad ingenia in philosophicis instruenda & natum & factum, ut hunc se gratias vix satis referre posse affirmet pro fidei aequae ac doctae in se collata opera. Percepit enim sanctus uberissimos quando inceperat frequentare scholas Medicas, & quidem quae Anatomiam docerent ac Materiam Medicam exponerent, sub directione famigeratissimi *Schacheri*, quae vero Botanicam monstrarent & Pathologiam inculcarent sub suavissima & Musis sacra fidelissima informatione *Rivini*, cujus nomen pronuntiasse orbi erudito & medico sufficit. Siquidem vero novit ad Eruditionem Medici ampliandam momentum non leve conferre Peregrinationes nec has spernere voluit. Haud vero fuit ea, qua non adeo incelebris quidam Scriptor, qui ex peregrinationis nimio amore, quod videtur, occaecatus infelicissimos illos vocat dies, quibus usquam praeter mensam defecerit. Nec ergo vagabundam illam decemavit migrationem, de loco in locum erratico more ut se conferret, cogitans nuspian esse, qui ubivis sit, sed quod certis in locis, vel

ut in orbe sua stellae quaedam, diversa legantur artis incrementa, quibus GRACHUS ad peregrinandum incitat, *Wittenbergam* adiit, quo ex eruditione Professorum celeberrimum & horum experientiam fieret & melior & doctior. Omnes Medicos equidem hic habuit Praeceptores, sed imprimis osculatus est VATERI praecepta solida, Viri quem fama vetat mori, quae non parum studiis suis addidisse incrementa quotidie cum gaudio in memoriam sibi revocat. Jussit tandem qui filium teneris adeo brachiis huc usque complexus est, & studiis in tam diversis locis tradidit formandum, Pater optimus, ut Colophonem studiis suis nostra haec Alma addat. Quamvis enim, si cum memoratis Academiis nostram volumus comparare haec magis Thule versus inter Emporia scientiarum videtur esse sita, & si numerus discipulorum in numerum gloriae venire debeat, nostra cedere illis jubeatur; Tantum tamen abest ut cedere debeat si de Docentium dexteritate & judicio quaestio sit decidenda & ad criteria solide decti quae affert ANTONIUS von der *ENDEN* / respiciendum, qui in docente desiderat, ut possit, ut sciat, ut velit docere: ut, remoto omni studio contentio- nis de gloria cum celeberrimis & ex frequentia monstris certare, quod dixerim praesumere, nunc audeat. Ipse saepius laudatus Candidatum non habebit ergo ut conqueratur de Consilio parentis sibi nos adendum dato, quin sibi natam hic esse occasionem affirmet, ut ab aliis audita tam utilia quam jucunda, ceu e floribus solutis sarta fieri solent, in ordinem redigere, bellissime connectere, & in commoda praxeos adendum concinnare valuerit. Praebuit Ego quidem, cujus auxilium in hac Alma voluit, desideris suis vocem, ut, si temporis intercapedo memoriam quorundam deleverat, ea iterum redderent perspecta, quorum cognitio nondum satis esset, firma haec firmarem, quae praxin respicerent, ab omni opinionum lubrico sejuncta traderem, & Doctoris, si non splendidi, nec enim omnibus datum est excellentem esse, solidi tamen nomen mereret. Factum inde, quod nec ipse spreverit vel minimam occasionem, qua possit reddi instructior, horas studiis dicatas observaverit sedulus, sectionibus cadaverum adlitterit intrepidus, examina mihi in docendo per quam chara, subleat promptus, verbo: sua industria discendi meam docendi promptitudinem tentaverit, si non superare, de quo quantum valui mihi prospexi, emulari tamen & imitari fuerit indefessus

feffus. Non possum allegare testimonia majora quam publica. Talia  
 sunt Disputationes sub praesidio meo habitae, quarum tres illum habent  
 Respondentem, quae sunt de *Differentia Ingenii & Judicii in Medico Cli-*  
*nico, De Principio Motus insano in homine, De Temperamento Melancho-*  
*lico*; reliquae aut Opponentem ordinarium aut Auditorem non solum  
 aures ad vocem disputantium admoventem; sed adhibentem animus  
 mentemque suam. Dedit itaque Nomen tot experimentis factis *Fa-*  
*cultati nostrae*, & modeste petit, ut & haec examinibus consuetis vires  
 suas experiretur, & an ad praxin, quam suscipiendam Parens svadet,  
 concedenda potestate capessendi Jura Doctoralia sit admittendus? sta-  
 tueret. Facultas annuit, qua solet facilitate admittere quos no-  
 vit pugnasse cum desidia & ignorantia; & talem experta est cui gra-  
 tularetur de optatis successibus & Cathedram disputatoriam aperiret  
 liberalissime, quo omnes & singuli se de ejus profectibus Informare  
 possent. Huic jam negotio destinatum esse diem XXI. Mensis  
 Novembris non modo ego Pro Decanus indicare hisce debui, sed  
 insimul, quae valeo, observantia & humanitate omnes, qui studio  
 Medico favent, solent vero favere quam plurimi, rogare ac invitare,  
 ut frequentes ad huc disputatorio intersint,  
 & studia mutua ex-  
 citent.

Publicat. Sub Sigillo FACULT.  
 MEDIC.  
 d. XII. Nov. ANN. MDCCXIX.



StUB.Ffm



54 475 470

Ζῶν Ἀδὴρ καὶ λόγῳ  
 DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
 DE

# EROTOMANIA,

Von der Krankheit da man  
 verliebt ist.

QUAM  
 CONSENSU GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ  
 IN ALMA ROSTOCHIENSI

PRÆSIDE PRO-DECANO,  
 VIRO EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO, ATQVE  
 EXPERIENTISSIMO,

## DN. GEORGIO DE- THARDINGIO,

MED. DOCT. & PROFESS. PUBL. CELEBERR.  
 ACAD. NATUR. CURIOS. COLLEG.

PRÆCEPTORE & PROMOTORE  
*ad cineres colendo, suspiciendo,*

### PRO DOCTORIS GRADU

Summisque in arte Medica Honoribus, Juribus  
 atque Privilegiis legitime consequendis,  
 Publico Examine submittit.

## JOH. CHRISTOPH. HEINTZE,

WITTENBURGO - MEGAPOLITANUS,  
 IN AUDITORIO MAJORI ad d. XXI Nov. A. MDCCXIX.

SD 65. *Horis ante & pomeridianis.*  
 Typis Joh. Wepplugi, SERENISS. PRINC. & ACAD. Typog.